

belli civiliter interrumpit præscriptionem, si lis contestari nequit cum absente (l. 2. C. de annal. except.); idem dic de sacro oraculo, seu petitorio, aut rescripto principi oblato (l. 3. C. de præscr. 30.) At per solam denuntiationem extrajudicialem regulariter nunquam interrumpitur præscriptio (l. pen. ff. pro emptor.)

261. Q. IV. *An usucapio completa rescindi possit?*

R. Affirmativè, ex justa causa respectu personarum, quæ gaudent beneficio restitutionis in integrum, de quibus lib. 4. tit. 44.

Absolute principio, et medio judicii, in seqq. titulis traduntur quæ spectant ad finem processus judiciarii: uti sunt sententiæ, appellationes, protectio ad sedem apostolicam, et confirmatio sententiarum.

TITULUS XXVII.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.^a

262. Nota I. Sententiam dupliciter accipi:—1.º *Formaliter*, et sic sententia est pronuntiatio judicis super causa inter litigantes agitata; et hoc sensu est propriè *res judicans*, seu actus judicis.—2.º Accipitur *objectivè* pro ipsa re judicata; quo sensu sententia dicitur transire in rem judicatam, hoc est, res per sententiam decisa et judicata adhuc incompletè et revocabiliter, transit in rem judicatam completè et irrevocabiliter, si intra decem dies à sententia non appelletur.

Nota II. Sententiam dividi.—1.º In *definitivam*, quæ causam principaliter in judicium deductam decedit et terminat; et *interlocutoriam*, quæ super aliquo articulo incidenti vel emergenti profertur inter principium et finem causæ, seu inter citationem et sententiam definitivam. Ea verò jussa, quæ dat judex ante citationem, vel post definitivam, non sunt propriè sententia interlocutoria. Ceterùm, licèt definitiva sit nobilior species sententiæ, tamen interlocutoria est propriè sententia, ut colligitur ex l. 39. ff. de minor. l. 42. C. et fia. C. de sentent. et interl., ubi interlocutio judicis dicitur sententia. At laudum arbitri compromissarii, cum non sit actus judicis et jurisdictionis (l. 3. C. de jurisd. omn. jud.), nec pariat exceptionem rei judicatæ, propriè non est sententia, sed analogicè.—2.º Definitiva est triplex: *absolutoria*, quæ reum absolvit; *condemnatoria*, quæ reum condemnat, eique pœnam infligit, et hæc effectum suum sortiri incipit à tempore, quo profertur; *declaratoria criminis* quæ declarat crimen commissum fuisse, cui lex ipsa pœnam infligit, et hæc retrahitur ad tempus delicti, et statim ab eo tempore effectum suum sortitur.—3.º Interlo-

^a—Agitur de hac materia in Sexto, et Clem. h. t.—In Decreto 3. q. 9. et 3. q. 4. 35. q. 9.—In Trid. sess. 14. c. 7. et sess. 25. c. 3. de refor.—In Institut. lib. 4. tit. 47.—In Pandectis lib. 42. tit. 1. et seq.—In Codice lib. 7. tit. 42. usque ad 64.

cutoria est duplex: *simplex*, seu merè interlocutoria, quæ non officit causæ principali, sed post illam expectatur definitiva: uti sunt interlocutiones super dilationibus dandis, testibus producendis etc; *mixta* seu *mèdia*, habens vim definitivæ, quæ licèt causam principalem expressè non decedat, tamen ferè illam perimit, ità ut post illam alia definitiva non expectetur: ut si judex pronuntiet se esse incompetentem, vel partes ab instantia absolvat, vel admittat exceptionem peremptoriam etc. Ex quibus facilè colligitur discrimen inter has sententias.

Nota III. Sententiæ regulariter præmitti *conclusionem in causa*, quæ est ulteriorum probationum renuntiatio, seu submissio causæ ad decisionem à judice faciendam. Et hoc fit, vel *expressè*, dum partes scripto aut oretenus renuntiant ulterioribus probationibus; vel *tacitè*, dum controversiam suam submitunt decisioni judicis, aut tempus probationibus præfixum elabi sinunt.—Est autem conclusio in causa duplex: *pura*, seu *absoluta*, quæ simpliciter causam concludit: et *conditionalis*, seu *eventualis*, quæ fit cum conditione, protestatione, aut reservatione, qualiter pars prior solet concludere: v. g. renuntio ulteriori probationi, si et pars altera renuntiet, si nihil novi in scriptura ultima proferat, si instrumenta nova reperta non fuerint etc. Et quidem, si concluditur in tota causa, est conclusio *generalis*; si in aliquo tantùm articulo, est conclusio *specialis*. Ceterùm, cum judici semper conclusum sit in causa, si videat causam liquidam, licèt partes in causa non concludant, validè profert sententiam; nam hæc nullibi irritatur, et consequenter conclusio in causa, quamvis regulariter sit facienda, tamen non est de substantia judicii plenarii.

263. Q. I. *Quis, quo modo, et quo effectu concludere possit in causa?*

R. Ad 1.º Partes litigantes, et procurator cum mandato speciali; his enim competit renuntiari ulterioribus probationibus.

Ad 2.º Modus seu forma concludendi in causa consistit in seqq.: Judex, finitis recessibus, seu allegationibus et responsionibus, interrogat partes, an quid ultra afferre velint? Si ità, audientur; si non, jubebit fieri conclusionem in causa; quæ mox referetur in acta, cum non præsumatur conclusum in causa, nisi ex actis probetur (c. 11. de probat.) Quod si una pars renuntiet probationibus, et altera non, judex recusanti præfigit sufficientem dilationem temporis, quo elapso, causa ipso facto habetur pro conclusa (*auth. jubemus C. de judic.*)

Ad 3.º Effectus conclusionis eventualis sequitur naturam et qualitatem conditionis appositæ; effectus verò conclusionis puræ est, quod post illam regulariter nulla probatio, aut exceptio admittatur (c. 9. de fid. instr. c. 5. de caus. possess.); exceptis causis criminalibus pro defensione rei (l. 27. ff. de pœn.), matrimonialibus et similibus, in quibus est periculum animæ (c. 7. 11. h. t.), causis minorum, et Ecclesiæ propter beneficium restitutionis (c. 3. de fid. instr.), item si appellatione interposita, prior conclusio tollatur (l. 4. C. de temp. appell.)—Præterea post conclusionem in causa admittuntur instrumenta noviter reperta (c. 4. de except. l. 7. ff. de feriis); probatio per confessionem partis adversæ (c. 10. §. porrò, de fid.

instr.), per evidentiam facti aut inspectionem, et quoties judici legitima causa videbitur, admittere poterit probationem, cum conclusio in causa partibus, et non judici præjudicet.

264. Q. II. *Quæ sint requisita, et solemnitates validæ sententiæ?*

R. 1.º Ex parte judicis requiritur, ut sit competens (*c. 4. de judic.*), et nullo notorio defectu à judicando prohibitus, uti est excommunicatio (*c. 24. h. t.*)—Ex parte sententiæ requiritur:—I. ut sit certa, nisi res in iudicium deducta petat sententiam incertam vel alternativam: v. g. prædium cum fructibus restituatur, solvantur mille, vel prædium restituatur. Secus sententia incerta, v. g. *solve, quod debes*, litem potius suscitatur, quam sopit (*§. 32. Inst. de action. l. 3. et fin. C. de sent. quæ sine cert. quant.*)—II. Ut sit pura et non conditionata, v. g. condemno Titium, si mutuum accepit (*l. 1. §. 5. ff. quando appell. sit*), nisi sit conditio intrinseca et connexa: v. g. condemno, excomunico te, nisi intra 8 dies satisfeceris, mandatum revocaveris etc.—III. Ut sit conformis libello in re quæ petitur, in causa ex qua petitur, in actione quæ intentatur, etsi actor pinguiorem actionem intentare potuerit (*c. 24. de accus. Clem. 2. de V. S. l. fin. C. de fidei com. libert.*)—IV. Ut sit conformis juris constitutioni, si clarum sit, etsi rigorosum (*l. 13. C. de sent. et inter et c. 1. h. t.: Sententia contra leges, canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure: ut si iudex pronuntiaret post acquisitionem alterius beneficii incompatibilis, primum non vacare ipso jure, quod est contra c. 28. de præb. et Trid. S. 7 c. 4. de refor.* Et quidem, sententia contra jus solemnitates extrinsecas præscribens lata, est ipso jure nulla, etsi error non exprimat in sententia: ut si sententia feratur ab excommunicato, die feriato etc.; nam quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi (*reg. 64. in 6.*) At si sententia feratur contra jus respiciens merita causæ, tunc solum est invalida, dum error juris exprimitur in sententia: ut si iudex condemnaret in usuras usurarum etc.; secus erit mero jure valida, et subsistet, nisi ab ea intra decem dies appelletur: ut si iudex condemnaret in sexaginta, licet decem deberentur pro usuris usurarum (*l. 1. ff. quæ sent. sine appell. l. 32. ff. de rejud. c. 13. in fin. h. t.*) Nam jus in hoc casu præsumit iudicem benè processisse et judicasse; secus est de solemnitatibus extrinsecis, quæ non substant ejus iudicio et arbitrio. Tandem si sententia sit injusta contra jus partis, seu litigatoris, regulariter mero jure valet, donec ab ea appelletur (*c. 13. h. t. l. §. 2. ff. quæ sent.*); nam præsumptio stat pro iudice, quod justè judicaverit, donec in instantia appellationis probetur sententiam fuisse injustam. Excipe, nisi evidens et notorium esset, sententiam esse injustam; tunc enim cessat præsumptio justitiæ pro iudice. Similiter valet sententia contra privilegium lata (*cap. 21. h. t.*); nam vel privilegium non fuit exhibitum iudici, et tunc iudex probabiliter illud ignorat, vel si fuit exhibitum, iudex contra pronuntiando, censetur illud reprobasse; unde si pars privilegiata læsa est, ad remedium appellationis confugere debet.

2.º Solemnitates extrinsecæ in prolatione sententiæ observandæ sunt.

—1.º Ut sententia feratur utraque parte legitimè citata et præsentē;

absens tamen contumaciter, habetur pro præsentē (*c. 2. h. t. l. 7. 8. 9. C. quomodo et quando.*)—2.º Ut sententia feratur die non feriato seu juridico, ad quem facta est citatio interdiu, et non noctu (*c. 24. de off. Ord. c. 1. de fer. l. fin. C. eod.*); in loco publico seu tribunalis, nisi is esset non tutus propter hostilitatem etc., vel partes consentirent in locum alium (*l. 11. ff. de sent. et interloc.*) Episcopus autem in quolibet loco suæ diocesis non exempto jus dicere potest (*c. 7. de off. ord. in 6.*)—3.º Ut sententia feratur, iudice sedente pro tribunali (*c. fin. h. t. in 6.*) ex periculo, seu breviculo, hoc est, ex scriptura nomine judicis concepta, ita ut iudex sedendo nomine suo pronuntiet (*l. 2. C. de sent. ex peric.*), licet consuetudo alicubi obtineat, ut Episcopus et aliæ illustres personæ per alium sententiam recitari faciant.—4.º Ut sententia concipiatur contra illum, qui litem contestatus est (*l. 27. ff. et lib. 25. C. de procur.*), licet de jure Canonico sententia ferri possit, vel in procuratorem, vel in principalem litigantem (*c. 6. de relig. dom. c. 14. de censibus etc.*), exceptis illis casibus, in quibus ob specialem rationem sententia non potest concipi in procuratorem, sed in principalem: uti in matrimonialibus, beneficiis, criminalibus, et causis communitatum, pupillorum, minorum, etc. In camera Imperiali semper sententia fertur in principalem litigantem.

His tamen solemnitatibus non ligatur Papa vel princeps, qui de plenitudine potestatis de jure potest supra jus dispensare (*c. 4. de conces. præb.*), modò observet ea, quæ de jure naturali requiruntur ad substantiam iudicii.

265. Q. III. *Quid juris, si sententia feratur à pluribus iudicibus?*

R. 1.º Si plures iudices diversa pronuntient, valet sententia plurium concordantium (*l. 39. ff. de rejudic.*), quia major pars trahit ad se minorem; si verò aequali numero discordent, et sint iudices ordinarii, prævalet sententia pro reo, nisi actor causam favorabilem habeat (*c. fin. h. t. l. 28. ff. de rejudic.*) Nam alterutra sententia valere debet, cum iudices ordinarii habeant jurisdictionem in solidum; ergò cum partes rei sint favorabiliores, prævalet sententia pro reo. At si sint iudices delegati, neutra valet, donec alterutra à delegante confirmetur (*c. 17. de hæret. in 6. l. 28. ff. de rejudic. et cit. c. fin. h. t.*)—2.º Si ex pluribus iudicibus ordinariis unus est excommunicatus, valet sententia, quia his jurisdictio in solidum competit, et utile per inutile non vitiatur; at si sint delegati, etiam cum clausula *quod si non omnes*, et ad pronuntiationem admittant excommunicatum, vitiatur pronuntiatio et sententia (*c. 24. h. t.*), quia jus propter vitium excommunicationis non permittit delegatos ita pronuntiare.

266. Q. IV. *An iudex sententiam latam revocare possit?*

R. Iudex interlocutoriam revocare potest (*c. 60. de appell. c. 10. eod. in 6.*); nam interloquendo, non amittit jurisdictionem, nec desinit esse iudex in causa. At sententiam definitivam validam iudex ordinarius vel delegatus revocare nequit aut corrigere, *l. 55. ff. de jud.*, ubi Jctus ait: *iudex postea quam semel dixit sententiam, iudex esse desinit, ut amplius sententiam corrigere non possit: semel enim sive benè, sive malè officio functus est.* Si autem sententia fuit invalida, eam quidem iudex ordinarius de facto revocare

aut corrigere potest (l. 1. C. de sent. et interl.), non verò delegatus (c. 9 de off. deleg.), cum huic sola exequutio, non verò revocatio sententiæ concedatur (c. 26. eod.)

267. Q. V. Quando sententia transeat in rem judicatam?

R. Eo tempore quo pars victa acquiescit sententiæ: vel expressè, v. g. petendo terminum solutionis (l. 5. C. de re judic.), vel tacitè, non appellando intra decem dies (c. 15. h. t.); et tunc sententia est firma, et pro veritate accipitur (l. 207. ff. de R. J.), tum quia id exposcit rerum judicatarum auctoritas (cit. l. 5.), tum quia pro justitia sententiæ stat præsumptio juris et de jure, contra quam non admittitur probatio, etiam regulariter per instrumenta de novo reperta (c. 21. h. t.) Dantur tamen casus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, sed causa denuò tractari potest (cap. 7. h. t.) Et quidem:—1.º In causa matrimoniali, si deinde pro, vel contra dissolutionem matrimonii probationes afferantur (c. 7. 10. 11. h. t.)—2.º In causa beneficiæ, si contra victorem probetur nullius tituli (cap. 46. in fin. de appell.)—3.º Si sententia lata est ex instrumentis aut testimoniis notoriè falsis; præsertim si testes pecunia corrupti sunt (c. 22. h. t. l. 33. ff. de re jud. l. 2. 5. C. si ex falsis), nisi iudex non fuisset sequutus fidem falsorum testium et instrumentorum.—4.º Si sententia lata est ex juramento suppletorio, et deinde reperiantur instrumenta in contrarium (l. 31. ff. de jurej.), vel ex probationibus à jure reprobatis, ut per duellum, contractum ferri candentis; vel ex consilio alicujus periti, quia perito peritior dari potest; vel si causa ad non causam redeat (l. 17. §. fin. ff. commod.)—5.º In causa censurarum (c. 36. de off. deleg. c. fin. de pæn. c. 48 de sent. excom.); quia petens absolutionem, et probare volens sententiam esse injustam, semper auditur.—6.º In causis criminalibus, si emergant probationes pro favore rei (l. 27. ff. de pæn.)—7.º Si testamentum noviter repertum, producat contra sententiam latam (arg. l. 3. §. 1. ff. de transact. l. 1. §. 1. ff. testam. quemad. aper.), vel si ex instrumento noviter reperto constet, quod jam priùs lata fuerit contraria sententia (Can. 41 ei qui 2. q. 6. l. 1. C. quando provoc.)—8.º In causis minorum, eorumque privilegiis gaudentium; nam minor ommissam allegationem per in integrum restitutionis auxilium potest petere (l. 36. de minor.); at major adversus rem judicatam restituitur, quia ex ignorantia probabili instrumenta non produxit, l. 4. 6. de re jud., ubi sic rescribitur: sub specie novorum instrumentorum postea reperorum, res judicatas restaurari exemplo grave est; ne scilicet vacillet rerum judicatarum auctoritas (l. 65. §. 2. ff. ad S. C. Trebell.)—9.º Denique in negotio publico post rem judicatam ex causa admittitur instrumentorum novorum productio, et causæ restauratio (l. 35. ff. de re judic.)

268. Q. VI. Qui sint effectus rei judicatee?

R. 1.º Ex parte judicis est, quòd functus sit suo officio, ut sententiam rescindere non possit, bene verò declarare.—2.º Ex parte partium, quòd inter illas jus faciat et obliget ad parendum (c. 13. v. quamvis h. t.); aliis tamen res judicata nec prodest, nec obest (c. 25. h. t. l. 2. C. quib. res judic.), nisi causæ essent connexæ (Can. tantis d. 81.), ubi sententia lata

contra indignè ordinatum præjudicat ordinanti, et pronuntiatio testamenti invalidi contra hæredem præjudicat legatariis.—3.º Ex parte causæ, est finis controversiæ, ita ut victori actori competat actio judicati in factum, in quam prior actio dicitur esse novata, ad præstandum id, super quo reus fuit condemnatus (l. 8. C. de R. C.); reo autem victori, seu absoluto competit exceptio rei judicatee, qua repellat actorem ejusque hæredes, si denuò eandem rem ex eadem causa peterent (l. 6. §. fin. ff. de re jud.)—4.º Item sententia definitiva in delictis famosis irrogat infamiam juris, uti etiam in contractibus, deposito, mandato, societate et tutela, si dolus in sententia expressus est (l. 1. ff. de his, qui not. infam.)—5.º Denique sententia solius principis tunc solum facit jus commune, dum princeps eam vult observari instar legis (c. 19. h. t.) Nam quòd principi placuit, legis vigorem habet (l. 1. ff. de confi. prin.); præjudicata autem, seu conformes sententiæ inferiorum judicum non faciunt jus commune (l. 13. C. de sent. et interloc.) ibi: non exemplis, sed legibus judicandum est. Sæpe tamen ex multis præjudicatis oritur particularis consuetudo, quæ stylus curiæ, seu fori vocatur, et pro lege in tali loco recipitur.

269. Q. VII. An res judicata sit firma pro foro conscientiæ?

Affirmant Joan. Andr., Gonz. Host. Schmier, Schmalz. Pichler et alii dicentes, litigatorem bonæ fidei, cui res adjudicata fuit, ita tutum esse in conscientia, ut, licèt post rem judicatam deveniat in certam notitiam rei alienæ, tamen non teneatur eam restituere priori domino collitiganti. Huic sententiæ et ego quondam adhæsi; sed propter nova mihi occurrentia argumenta, quæ apud adversarios proposita non invenio, mentem mutò et subscribo negativæ, quam tenent Innoc. Abb. Felin. Silvester, Sotus etc. Hinc:

R. Res judicata non est plenè firma pro foro conscientiæ, sed de se solam usucapiendi conditionem tribuit. Prob. 1.º ex l. 60. ff. de condic. indeb., ubi Paulus ex Juliano docet, quòd verus debitor absolutus solutum non repetat, quia natura debitor permanet. Neque textus iste restringi debet ad litigantem mala fide; tum quia hoc divinatoriè dicitur; tum quia responsio ista non congruit causali: natura debitor permanet.—2.º Sententia et res judicata nullibi in toto jure numeratur inter modos solvendi obligationem, vel transferendi dominia aut jura, imò post rem judicatam nihilominus obligatio durat (§. 5. Inst. de except.); ergò vi rei judicatee victor in judicio non est tutus in conscientia, si post deveniat in notitiam rei alienæ aut debiti.—3.º Res transacta est tantæ firmitatis, ac res judicata (l. 5. 16. C. de transact.); sed transactio non transfert jura et dominia, si reipsa transigens non est dominus, sed tantum usucapiendi conditionem (l. 8. C. de usucap. pro emptor.); ergò etiam sententia et res judicata ipso jure non transfert dominia, sed solum usucapiendi conditionem, si interim possessor non deveniat in notitiam rei alienæ. Et ideo ipsimet adversarii inter alios titulos usucapionis ponunt etiam titulum judicati, cui non est locus in alio casu, nisi dum victor bona fide rem sibi adjudicatam possidet, quæ tamen reipsa non est illius. Evanescit autem iste titulus, si ante completam usucapionem superveniat certa notitia rei alienæ. Ratio

est, quia sententia et res judicata fundatur in præsumptione facti particularis, quatenus ex allegatis et probatis constat, quod contractus, debitum aut delictum intervenerit, vel quod iste aut ille sit dominus rei, *c. 13. in fin. h. t.*, ubi de sententia dicitur, quod *præsumat rite per omnia celebrata*. Sed si præsumptio est falsa, talis sententia et res judicata nihil efficaciter operatur pro foro interno; quia in hoc foro præsumptio et res judicata cedit manifestæ veritati, ex communi doctrina S. Aug. *Can. 4. d. 8.*; ergo. *Confr.* ex hac instantia: dum non debitor condemnatur actori bona fide litiganti in mille vel ad tradendum fundum, vel ipso jure seu auctoritate publica actor post rem judicatam efficitur verus dominus rei ex causa judicati traditæ, vel non efficitur tali dominus. Si non, cessat quæstio circa punctum principale, de quo agimus; si ita, ut concedunt adversarii dicentes via judicati, non secus ac via præscriptionis jura et dominia transferri ex vi legum et auctoritatis principalis ita disponentis, *contra sic arguo*: si actor in hoc casu efficitur verus dominus rei sibi adjudicatæ, ita pro foro interno excludit seu perimit jus condemnati, ut is in foro interno teneatur rei judicatæ parere, solvere, et nullo modo possit occulta compensatione uti, cum à reo translatum sit jus et dominium in actorem. Sic enim post usucapionem completam, ex communi sententia, non est licita occulta compensatio, etsi quis resciat, se antea verum dominum fuisse rei ab alio usucaptæ; sed in hoc casu debitor putatitius condemnatus non tenetur in foro interno parere sententiæ, nec solvere, licet hæc in foro externo præsumat justa: hoc enim præter communem sententiam, docent ipsimet adversarii, ut Schmalz. *tit. de Constit. n. 34.*, Pichler *ead. tit. n. 39.*; ergo actor in hoc casu non efficitur verus dominus, neque perimit jus debitoris, sed huic in foro conscientiæ jus manet ad rem suam, vel non tradendum; vel si in foro externo coactus solvit aut tradit, ad eandem vel æquivalens repetendum.

Ex his pro præxi colliges:—1.º Si pars bona fide litiget et vincat, vi rei judicatæ acquiri ei possessionem et usucapiendi conditionem, ita ut rem sibi adjudicatam ordinario tempore contra privatos usucapiat, modo toto tempore præscriptionis perseveret bona fides.—2.º Si notitia certa rei alienæ superveniat ante completam usucapionem, naturaliter interrumpi perscriptionem rei adjudicatæ, puta ob malam fidem supervenientem, et consequenter in foro conscientiæ dari obligationem restituendi vel solvendi, quod vi falsæ rei judicatæ acquisitum fuit

Obj. 1.º Res judicata accipitur pro veritate (*l. 207. ff. de de R. J.*), et quantum ad litigantes jus facit (*c. 13. h. t.*); sed nec est veritas, nec jus, quo quis uti non potest absque peccato et alterius injuria; ergo res judicata valet in foro conscientiæ.—2.º Lex fundata in præsumptione obligat etiam pro foro conscientiæ, ut aliàs dictum de legibus præscriptibus solemnitates electionibus, testamentis etc., licet præsumptio fraudis falsa sit; sed res judicata vim habet legis (*l. 38. ff. de LL.*); ergo.—3.º Rei judicatæ tanta est vis, quanta usucapionis: tum quia utraque jus tribuit; tum quia utriusque eadem est ratio, ne dominia maneant incerta, ne lites tribunalibus et bono publico gravamen afferant.—4.º *L. 36.*

ff. famil. hercis., hæreditas adjudicata cohæredi putatitio, non condicitur; et *l. 1. C. de eondict. indeb.* à sens. contr. negatur repetitio pecuniæ ex causa judicati solutæ: item contra firmitatem rei judicatæ non admittitur novum instrumentum, nec rescriptum Principis, nec transactio (*c. 20. 21. h. t. l. 32. C. de transact. l. 1. C. quando provoc.*), et ideo JCl. dicunt, quod res judicata faciat de non ente ens, ex indebito debitum, ex nigro album, ex quadrato rotundum, et e contra; quæ omnia innuunt rem judicatam esse firmam in foro interno.

R. Ad 1.º Res judicata accipitur pro veritate præsumpta in foro externo; et similiter facit jus præsumptum, quod eatenus victori prodest in foro conscientiæ, quatenus ante completam usucapionem non supervenit certa notitia rei alienæ.

Ad 2.º Lex fundata in præsumptione periculi universalis fraudum obligat in conscientia, etsi præsumptio in casu particulari fallat, quia motivum talis legis non cessat; at lex fundata in præsumptione facti particularis, etsi sit præsumptio juris et de jure, non obligat in conscientia, si præsumptio fallat, ut docet certa sententia ab exemplis *c. 21. 30. de sponsal. c. un. in fin. de despons. impub. in 6. l. 22. ff. de probalion. etc.*; ergo multò minùs in conscientia obligat sententia et res judicata fundata in falsa præsumptione.

Ad 3.º *N. A.* quod solidius ex claro jure probandum esset, maximè cum jura omnia elament, rem judicatam non esse modum solvendi obligationem, sed propter auctoritatem judicis esse titulum justæ possessionis et usucapionis, modo continuetur bona fides sine notitia rei alienæ. Et quomodo res judicata æquiparatur usucapioni, cum etiam in sententia adversariorum, non debitor condemnatus uti possit occulta compensatione? nisi forsitan dicas, quod actor et reus æquale jus retineant in eadem re. Nec sunt eadem rationes. Nam res semel judicata non permittitur iterum resuscitari, adeoque non timentur lites et incerta dominia, quorum certitudini satis consulitur per usucapionem.

Ad 4.º In citt. juribus negatur condictio, repetitio et resuscitatio litium pro foro externo; et quidem justè, ne tribunalia antiquis litibus onerentur; sed exinde nihil infertur pro foro interno, quia jus sæpe negat actionem pro foro externo, relicta obligatione in foro interno, in quo veritas rei spectatur (*l. 7. §. 4. ff. de pact. l. 2. C. de rescind. vend.*)

270. Q. VIII. *Quid juris circa executionem rei judicatæ?*

R. 1.º Exequutio, qua realiter victori præstatur id, quod verbaliter per sententiam ei adjudicatum est, fieri debet à solo judice ordinario vel delegato; aliàs victor propria auctoritate attentans executionem, *actioe furti et vi bonorum raptorum tenetur* (*l. 6. §. 2. ff. de re jud. c. 5. de off. deleg.*). Quod si à sententia appellatum fuit, judex appellationis, sive reformet, sive discussis meritis causæ confirmet priorem sententiam, exequitur sententiam, cum ad eum jurisdictio sit devoluta (*l. 32. §. 2. C. de appell. et auth. si quis C. de Episcop. aud.*) Si verò judex ad quem tantum tacitè confirmaret sententiam, v. g. pronuntiando fatalia esse lapsa, vel appellationem esse desertam, exequutio pertinebit ad judicem à quo (*l.*

fn. § 4. *C. de temp. appell.*); quia tunc iudex ad quem fatetur jurisdictionem ad se devolutam non fuisse.—2.º Exequutor mixtus, cui non mera exequutio, sed etiam cognitio circa faciendam exequutionem commissa est, admittere potest exceptionem ad retardandam exequutionem, non verò ad sententiam impugnandam; sed si circa hanc aliquid opponatur, v. g. à tertio ignorante sententiam fuisse latam, id ad iudicem principalem referendum est (*l. 73. ff. de judic.*) At exequutor merus, cui non cognitio, sed merum exequendi ministerium commissum est, regulariter nullam exceptionem admittere potest, nisi sententia esset invalida, vel notoriè injusta (*l. 6. 8. C. de exeq. rei jud. c. 28. de off. deleg.*) Ceterum is, contra quem tres sententiæ conformes latæ sunt, non auditur agens de nullitate earum, nisi priùs exequutioni mandentur (*Clem. 4. h. t.*)—3.º In actionibus realibus exequutio statim post decendum decerni potest in rem, de qua litigatum fuit, quia hæc præstò est ad restituendum, nisi possessor ob impedimentum statim illam restituere non posset; et tunc datis fidejussoribus aut pignoribus, tempus ei præfigitur ad restituendum (*l. 68. ff. de R. V. c. 6. h. t. §. 2. 3. Inst. de off. jud.*); at in actionibus personalibus et debitis, cum pecunia numerata non semper sit præstò, debitori condemnato conceditur quadrimestre ad solvendum (*c. 13. h. t. l. 2. 3. pr. C. de usur. re jud.*) In criminalibus pro exequutione pænæ corporalis nec decem dies expectantur (*l. 18. C. de pænis.*)

271. Q. IX. *Quæ sit pæna temerè litigantis, qui inconsultò seu sine prævio sufficienti examine litem movit?*

R. Hodie est sola mulcta pecuniaria, seu condemnatio in expensas necessarias et moderatas, quarum causa fuit, ut eas resarciat victori (*c. 5. de dolo c. 4. de pæn. l. 79. pr. ff. de jud. § 4. Inst. de pæn. temer. litig.*) Expensæ tamen delicatæ et voluntariæ, ut sumptus justo majores in itinere, dona advocatis data etc. non refunduntur. Is autem censetur temerarius litigator, qui libellum mutavit, ab una actione transeundo ad aliam, vel qui nihil pro causa sua probabit, vel personam cui reverentia debetur, sine venia prætoris in jus vocavit etc. Econtra à pænis temerè litigantium excusatur, qui justam habuit causam litigandi: ut si semiplenè provavit et speravit se admittendum ad juramentum suppletorium; si confidit in sententia plurium DD. vel unius celebris; si causam auctoritate principis vel metu gravis pænæ suscepit etc.

272. Q. X. *Quæ sit pæna iudicis malè judicantis?*

R. 1.º Si ex dolo et malitia malè judicavit, et ad hoc inductus est timore, gratia vel odio, tenetur parti læsæ ex delicto vero ad solidam litis æstimationem (*l. 13. ff. de jud. l. fn. C. de pæn. judic.*). Si ad hoc inductus est pecunia, in causa civili, præter litis æstimationem, tenetur triplum dati et duplum promissi reddere, ac dignitate penitus privatur; in causa verò criminali, confiscatis omnibus bonis mittendus est in exilium (*auth. novo jure C. de pæn. jud. et. Nov. 124. c. 2.*), idque in detestationem tanti delicti.—2.º Si iudex malè judicavit per imprudentiam vel imperitiam, tenetur ex quasi delicto ad litis æstimationem; non quidem in solidum, sed quantum videbitur Religioni illius, qui illum, considerata culpæ

qualitate, condemnabit (*l. 5. §. 4. ff. de O. et A. pr. Inst. de oblig. ex quasi del.*)—3.º Si iudex ecclesiasticus favore vel per sordes aliquid egerit, præter litis æstimationem, punitur pæna suspensionis ab officio, modo judicaverit formaliter injustè seu contra propriam conscientiam (*c. 1. h. t. in 6.*); quæ tamen pæna non comprehendit Episcopum ex privilegio (*cap. 4. de sent. excomm. in 6.*), neque extendi debet ad arbitrum, vel merum exequutorem.

TITULUS XXVIII.

DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS ET RELATIONIBUS.

273. *Nota I.* Partì per sententiam læsæ competere varia remedia. Et quidem, si sententia ex aliquo capite est invalida, datur unicum remedium nullitatis, quod rariùs solum, frequentius cumulativè cum appellatione proponitur et quidem, utilissimè, quia si pars defecerit in probanda nullitate, recursum habet ad probandam iniquitatem sententiæ (*l. 4. C. de exequut. rei jud. l. 1. C. de sent. ex peric. recit. Clem. 4. de sent. et re jud.*) Hoc remedium seu querela nullitatis seorsim et principaliter intendenda, de jure com. durat triginta annis ex dispositione generali (*l. 3. C. de præscr. 30.*); nisi jure statutorio vel consuetudinario brevius tempus ei præfigatur, sicut decem dies in camera imper. (*R. J. an. 1645. §. 121.*) Si sententia injusta est, contra ejus injustitiam datur remedium ordinarium appellationis, et remedia extraordinaria: ut restitutio in integrum, supplicatio Principi facta, ut ex gratia supplicantem gravatum restituat adversus sententiam, contra quam non suppetit ordinarium remedium appellationis (*lib. 5. et seq. auth. C. de precib. Imper. offic.*)—*Revisio* in locum supplicationis subintrans, est remedium quo petitur, ut Superior per se vel per alios revisores sententiam revideat, et si iniquam repererit, eam reformet. Circa hanc consulenda sunt statuta cujusque loci, cum jure communi non concedatur.

Nota II. Quod appellatio sit: provocatio ab inferiori ad superiorem ob justam causam gravaminis, partim ut gravamen tollatur, partim ut iniquitas aut imperitia iudicis corrigatur, partim ut defectus in probando admissi in secunda instantia emendentur; licet quandoque per accidens sententiæ latæ in secunda instantia in pejus reformentur (*l. 1. pr. ff. h. t.*) Porrò appellatio est duplex: *judicialis*, quæ interponitur ab actibus judicialibus, vel ante litem contestatam à brevi termino ad comparendum,

a.—Agitur de hac materia in Sexto, et Clementin. *h. t.*—In Decreto 2. q. 6.—In Trident. sess. 13. c. 1. in *fn.* et c. 2. 3. de *ref.* sess. 22. c. 7. sess. 24. c. 10. 18. 20. sess. 25. c. 14. v. *nec quævis de ref.*—In Pandectis *lib. 49. tit. 1. usque ad 13.*—In Codice *lib. 7. tit. 62. usque ad finem Nov. 13.*